



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Pia Desideria**

**Hugo, Hermann**

**Mediolani, 1634**

III. Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea.  
Psal. 16

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43734**



*Perfice gressus meos in semitis tuis, ut  
non moueantur vestigia mea. Psal. 16.*

*C. Blancus. fec.*

*18.*

## III.

Perfice gressus meos in semitis tuis : vt non moueantur vestigia mea . *Psal. 16,*

**E** Rgo caduca gradum toties mihi tibia fallet.  
 Sternet & in plana pes vitiosus humo?  
 Aspice, qui Coelis hominum vestigia spectas,  
 Firmaque fac presso stet mea planta solo.  
 Instruit implumes pennata Ciconia pullos,  
 Et docet aerias prepes inire vias.  
 Exemplo volucrem sequitur modo filia Matrem,  
 Tutaque iam peragit, quod metuebat, iter.  
 Prouocat expansis sobolem Iouis armiger alis.  
 Et iubet insuetas sollicitare plagas.  
 Mox praet, & pleno se iactat in aere lapsu,  
 Remigio soboles subsequiturque patrem.  
 Dum primum ignotas tentat puer inscius undas,  
 Corporis indoctum subere fulcit onus:  
 Mox opis oblitus, stumen sine cortice tranat,  
 Flumen in experto saepe sed ore bibit:  
 Sapius at doctis ubi planferit equora palmis,  
 Ducit in immenso brachia tuta salo.  
 Aspice, qui Coelis hominum vestigia spectas.

Aspice

Aspice qua nobis arte leuetur iter :  
 Sustineor fragili puerilia membra curuli ,  
 Quaeque vehunt socias ipsa propello rotas .  
 Nempe tripes baculi sic stipite nititur aras ,  
 Quiqua senem vectat , à sene fertur equus ,  
 Nec tamen ambiguis malè decipiare querelis ;  
 De pedibus , tecum , nulla querela meis .  
 Nec vitio planta ; vitio neque crura laborant ,  
 Saxa per & salebras tibia nostra salit .  
 Non ego pennipedi dubitem certare Camilla ,  
 Isse per intactas qua pede , fertur , aquas .  
 Quod queror , est animi vitiū lacrymabile nostri ,  
 Qui , quibus incedat , languidus est pedibus .  
 Heuiacet afflictis , affectibus omnibus aeger !  
 ( Hi , quibus incessit , nempe fuere pedes )  
 Si quod iter , quamuis breue sit , virtutis eundū est ,  
 Mens mihi fit minima lassata labore via ;  
 Crura forent fragilis veluti tua . Nyle , papyrus ,  
 Quaeque ruit mota canna palustris , aqua .  
 Rarus , at immodicus quandoq ; resuscitat ardor ,  
 Et pede fulmineo stringere cogit iter :  
 Sed bene vix coeptū , currendi extinguitur ardor ,  
 Lampadis vt magno flammula parua Notō ,  
 Ne tamen ignavis videar segnescere plantis ,  
 Promoueo tardos pigra subinde gradus .

Ast

Ast mea tunc, caueam quisquam vestigia seruet,  
 Ne puter immodicis ebria facta scyphis.  
 Scilicet in partes, ita tibia claudicat ambas,  
 Semipedis claudi pes ut hiulcat iter:  
 Nunc volo, nunc nolo, nunc aestuo, nunc languesco,  
 Nunc stupet ut rigido mens religata gelu:  
 Impatiens igitur, coepti sine fruge laboris,  
 Sape via medio, lassata retento gradum.  
 Sed neque, qua languens statione resistere tento,  
 Instabilem valeo figere firma pedem.  
 Auferor aduerso velut incita puppis ab aestu,  
 Quam neque vis remi nec sua vela iuuant;  
 Damnaque sunt iterum vano redimenda recursum,  
 Irruus, eterno sic redit orbe labor,  
 Nempe catenari, sic publica corpora, serui  
 Circumcunt, toties pendula tecta mole;  
 It mola, per que suos rapitur circumuaga gyros,  
 Sed perit his, quicquid conficit illa via.  
 Heu quid agam! neque sueta vehi neque currere  
 Nec pedibus minimas utilis ire vias! (docta,  
 Magnum iter est Coelo magnis huc passibus itur,  
 Quid faciet lentis nostra quadriga rotis?  
 Tu spatia ingenti perlaberis ardua saltu,  
 Vastaque tergemini crura gigantis habes.  
 Loum passu, Hesperiumque amplectere mundum,  
 Sub

Sub femur ut Rhodius vela Colossus agit :  
Ast testudineo reptat mihi tibia gressu ,  
Aut chelis referor; Cancer adunce tuis .  
Quid positas igitur sperem contingere metas ,  
Qua metas refugo perdita sector equo ?  
O Deus , ambiguos trepidantis perfice gressus ,  
Vincat & applausis nostra quadriga rotis !



## AMBR O S I V S

*De fuga seculi Cap. I.*

**Q** Vis inter tot passiones huius corporis  
inter tantas illecebras huius sæculi tutū  
atque intemeratum seruare potest *vestigium*.

Con-